



The Holy See

IOANNES PP. XXIII
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

CONSTITUTIO APOSTOLICA

VERAE CRUCIS — TEHUANTEPECENSIS*
(S. ANDREAE DE TUXTLA)

ARCHIDIOECESI VERAE CRUCIS
ET DIOECESI TEHUANTEPECENSI
QUIBUSDAM DETRACTIS TERRITORIIS,
NOVA EFFICITUR DIOECESIS
«S. ANDREAE DE TUXTLA» NOMINE

Quibus christiani populi grex a summo universorum hominum Pastore pascendus, regendus et custodiendus commissus est, non sane praetermittimus, quo vividius omnibus resplendeat divinae lux veritatis, ecclesiasticas circumscriptiones partiri eademque aptius designare; quotiens scilicet maiori christianorum communitatis commodo id respondeat. Cum igitur venerabilis Frater Aloisius Raimondi, Archiepiscopus titulo Tarsensis et in Ditione Mexicana Apostolicus Delegatus, rogavisset Nos ut, per amplis archidioecesis Verae Crucis dioecesisque Tehuantepecensis dismembratis territoriis, nova ibi locorum dioecesis conderetur, id aestimantes maiore cum animorum bono fieri, post auditos venerabiles Fratres Emmanuelem Pium Lcipez Estrada, Archiepiscopum Verae Crucis, et Iesum Villarreal Fierro, Episcopum Tehuantepecensem, consensum quoque supplentes eorum omnium, qui hoc in negotio aliquod ius habeant vel se putent habere, de summa et apostolica Nostra potestate haec, quae sequuntur, decernimus et iubemus. Ab archidioecesi Verae Crucis ea territoria seu municipia separamus, quae apud vulgus hoc nomen habent: Acula, Amatitlan, Ixmatlahuacan, Tlacotalpan, Saltabarranca, Lerdo de Tejada, et partem municipii Cosamaloapan, quae in praesens ad eandem pertinet; a dioecesi autem Tehuantepecensi territoria municipiorum separamus, quibus nomen : Coatzacoalcos,

Moloacán, Hidalgotitlán, Jaltipan de Morelos, Cosoleacaque, Texistepec, Oluta, Jesús Carranza, San Juan Evangelista, Mecayapan, Hueyapan de Ocampo, San Andrés Tuxtla, Playa Vicente, Chacaltianguis, Tlacojalpan, Angel R. Cabada, Chapopotla, Minatitlán, Zaragoza, Oteapan, Chinameca, Soconusco, Sayula, Acayucan, Soteapan, Pajapan, Catemaco, Santiago Tuxtla, Villa Azueta, Tuxtilla et Otatitlán, atque ex iis omnibus novam dioecesim condimus, *Sancti Andreae de Taxtla* appellandam, iisdemque finibus terminandam ac territoria e quibus coalescit. Fines constitutae Ecclesiae erunt ad septemtrionem, Sinus Mexicanus; ad orientem solem, dioeceses Tabasquensis et Chiapasensis; ad meridiem, dioecesis Tehuantepecensis; ad occidentem denique solem, archidioeceses Verae Crucis et Antequerensis. Sedes dioecesis atque Episcopi domicilium in urbe, cui nomen San Andrés Tuxtla, erit; eathedram vero in templo, quod ibi exstat, Deo in honorem S. Andreae Apostoli dicatum, sacrorum Antistes ponet; quod ad gradum et dignitatem cathedralis aedis evehimus. Novae Ecclesiae omnia iura damns, quae dioecesibus competunt, itemque sacro eius Praesuli; qui praeterea onera quoque sustinebit Episcopis propria. Inter quae hoc memorare placet esse videlicet eum una cum sua dioecesi metropolitanae Sedi Verae Crucis suffraganeum. Curet sacer huius novae Ecclesiae Praesul ut Seminarium saltem elementarium struat pueris excipiendis, qui ad sacerdotium sint vocati. Quod ad normas et leges S. Congregationis de Seminariis et Studiorum Universitatibus fiat, atque ad iuris communis praescripta. Cum a, utem iuvenes eo aetatis pervenerint ut philosophia ac theologia imbui debeant, qui meliores fuerint Romam mittantur, in Pontificium scilicet Collegium Pianum Latinum Americanum. Item Canonorum Collegium, ad normas aliarum Litterarum sub plumbo edendarum, constituet; donec tamen id fiat, Consultores dioecesani deligantur, Episcopum consilio et ope iuvaturi. Qui scilicet a munere suo cessabunt, Canonorum coetu constituto. Mensam episcopalem, quam dicunt, efficient Curiae proventus, fidelium donationes, congrua bonorum pars novae Sedi obveniens, ad normam Canonis 1500 C. I. C. Item quod ad regimen, administrationem dioecesis attinet, ad electionem Vicarii Capitularis, Sede vacante, aliaque huiusmodi, sacrorum canonum leges serventur. De clero autem statuimus ut sacerdotes ei Ecclesiae addicantur, in qua officium aut beneficium habeant; ceteri vero ei, in qua legitime degant. Acta denique ac documenta, quae ad novam circumscriptionem quomodolibet pertineant, ad eius episcopalem Curiam quam primum mittantur, ibidem in tabulario religiose custodienda. Ceterum Nostra haec mandata venerabilis Frater Aloisius Raimondi, quem diximus, exsequenda curabit, cui omnes facimus agenda rei potestates. Poterit autem ille et alium virum delegare, dummodo sacerdotio insignem. Negotio vero confecto, documenta et acta exarentur eademque sinceris exemplis ad S. Congregationem Consistorialem quam primum mittantur. Quod si fiat ut tempore executionis alius in Mexicana Ditione Apostolicum Nuntium gerat, hic omnia quae iussimus faciet.

Has vero Litteras nunc et in posterum efficaces esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eas decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Quarum Litterarum efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per has Litteras iisdem derogemus omnibus. Quapropter si quis, quavis praeditus auctoritate, sive sciens sive insciens contra egerit ac Nos ediximus, id prorsus irritum atque inane haberi iubemus. Nemini

praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere: pere liceat; quin immo harum Litterarum exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae hisce haberetur, si ostenderentur. Quae Nostra decreta in universum si quis vel spreverit vel quoquo modo detrectaverit, sciat se poenas esse subiturum iis iure statutas, qui Summorum Pontificum iussa non fecerint.

Datum Roma, apud S. Petrum, die tertio et vicesimo mensis Maii, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo nono, Pontificatus Nostri primo.

<i>Pro S. R. E. Cancellario</i> DOMINICUS Card. TARDINI <i>a publicis Ecclesiae negotiis</i>	+MARCELLUS Card. MIMMI <i>S. Congr. Consistorialis a Secretis</i>
--	--

Hamletus Tondini
Apostolicam Cancellariam Regens

Bernardus De Felicis, *Prot. Apost.*
 Albertus Serafini, *Prot. Apost.*

Loco+Plumbi

In Ap. Canc. tab., vol. C, n. 98.

* A.A.S., vol. LI (1959), n.16-17, pp. 881-883.